

92. *Instrumentum testamenti*
di Palmerio Budario

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*92. Instrumentum testamenti
di Palmerio Budario*

1399-12-18

(c. 252r) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo tricentesimo nonagesimo nono, regnante serenissimo domino nostro domino Ladislao Dei gratia Hungarie, Hierusalem, Sicilie, Croatie, Dalmatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Comanie, Bulgarie rege, Provincie, Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum vero eius anno tertio decimo feliciter amen, die decimo ottavo mensis (decem)bris, ottave inditionis, apud civitatem Potentie.

Nos Ciccarellus de Lacupensuli annalis iudex civitatis Potentie, Tomasius Strambus publicus ubilibet per provincias Principatus citra et ultra serras Montorii, Capitinate // (c. 252v) ac Basilicate regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico fatemur atque testamur quod Palmerius Budarus de Potentia, eger corpore sanus mente tamen et rette locutionis existens, considerans quod nihil certius morte et nihil incertius hora mortis, volens anime sue saluti providere, de bonis suis omnibus presens suum ordinavit et condidit testamentum quod esse voluit ultimum et finale et voluit quod lex Falcidia in eo locum non habeat et quod, si non valeret iure testamenti, valere voluit iure codicillorum et cuiuscumque alterius voluntatis ultime (con)timeat firmitatem; et quia cuiuslibet testamenti capud dignoscitur <esse> heredis institutio, in quo quidem testamento heredem sibi instituit in omnibus bonis suis stabilibus et mobilibus, preterquam in infrascriptis legatis et fidei commissis, diaconum Tomasium Budanum et Antonellam Budanum, filios suos legitimos et naturales; dans ipse testator dotem Antonelle filie

sue in carlenis tarenos sex nomine hereditatis, presente ibidem ipsa Antonella et consentiente ad plenum de dittis tarenis sex sibi relaxatis nomine hereditatis, asserendo // (c. 253r) fore per eundem patrem suum de paragio maritatum de bonis paternis predittis, intelligente atque accettante, et renuntiavit expresse in hereditate preditta de forte superfluo adveniente et contingente sibi ex bonis paternis predittis ultra tarenos sex; item legavit pro defraudatis decimis ecclesie Santi Girardi tarenos sex ceteraque bona sua mobilia et stabilia seseque moventia legavit et dimisit preditto diacono Tomasio filio suo, preter de predittis legatis et fidei commissis; item legavit sibi canonicam sepulturam intus ecclesiam Santi Girardi, pro sepultura legavit ditte ecclesie tarenos quindecim de carlenis; item legavit pro malis oblatiis incertis tarenos sex; item legavit pro defraudatis decimis ecclesie Santi Girardi tres tarenos; item voluit et mandavit quod in die obitus sui fieri debeant obsequia ad arbitrium predittorum diaconi Tomasii et Antonelle filiorum suorum, infrascriptorum epitroporum suorum, nec non et domini Manfredi de Centum Manibus; item legavit pro missis celebrandis in die obsequii sui tarenos duos; item legavit // (c. 253v) in construtione campanilis ecclesie Santi Girardi tarenos duos; item legavit Antonelle de Carnone, amore servitii sibi prestiti perdiu, ut dixit, mataracium unum, plumatium unum, par unum de linteaminibus, tappetum unum, catenam unam, caldaram unam et telare unum cum omnibus apparatibus; item legavit preditte Antonelle ex amore prefato corrigiam unam de argento pernulinam; item legavit preditte Antonelle, causa amoris, salam unam domus unius, absque vegetario, quod est iuxta casam Sante Zaccarie sueque familie, certiis circumdata sua vita

durante tantum et, prefata ipsa Antonella morta, voluit testator ipse quod preditta sala detur et exhibetur expresse Demetrio nepoti suo naturali filioque ditte Antonelle, patto tali adietto quod si idem Demetrius moriretur, quod absit, infra pupillarem etatem, voluit ipse testator quod succederet ipsi Demetrio in ditta sala domus ipse diaconus Tomasius filius suus; voluit ipse testator et expresse mandavit quod ut ipsa Antonella de Carnone traderetur nuptiis vel reciperet amasium, vivente ipso diacono Tomasio, statim ipsa Antonella a dominio // (c. 254r) et patronatu preditto sale domus expellatur atque excludatur et ad dominium et proprietatem ipsius diaconi Tomasii revertatur et reducetur; item legavit domino Nicolao de Martino, nepoti suo, medietatem terrarum que sunt in vallone Moarii, que erant pro indiviso cum magistro Angelo de Bono Infante; item legavit Strangie de Labro, sorori sue, tarenum unum; item legavit domno Manfredo de Centum Manibus, patrino suo, similiter tarenum unum; item dittus testator fecit, instituit et ordinavit suos epitropos, distributores et exequutores ac fidei commissarios presentis sui ultimi testamenti diaconum Tomasium, domnum Manfredum de Centum Manibus et Antonellam filiam suam quilibet eorum insolidum quibus et ipsorum cuilibet dedit liberam, plenariam et ordinariam potestatem vendendi, alienandi, distribuendi et aprehendendi tantum de bonis suis ditti presentis testamenti inclusis et legata in eo cum effectu plenario exequantur. Unde ad futuram memoriam et ditti testatoris preces et omnium quorum et cuius interest et poterit interesse certitudinem et cautelam fattum est exinde presens publicum instrumentum testamenti per // (c. 254v) manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis et

nostrum predittorum subscriptorum testium signis et
subsignationibus roboratum.

1

2

3

4

5

6

7

Quod scripsi ego predittus Tomasius publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus rogatus et vocatus
interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi.
(SN) † Ego Ciccarellus de Lacupensuli iudex annalis
civitatis Potentie qui supra † Ego domnus Cicconus
de Cicco canonicus Potentinus testis sum † Ego
domnus Antonius de Venusio testis sum † Ego presbiter
Goffredus de Moyse testis interfui † Signum crucis
proprie manus domni Nicolai notarii Andre# qui interfuit
et scribere nescit † Ego Rinaldus de Stampis de Potentia
testis sum † Ego presbiter Iacobus Venter testis sum

Così S per Budarius (da docc. coevi, qui e in seguito)

Così S per obtineat

Non è possibile stabilire con certezza se si tratti di una
casupola di una certa Santa Zaccaria (e della sua famiglia) o
se, per un errore di trascrizione, si fa in realtà riferimento alla
chiesa di S. Zaccaria, nella parrocchia di S. Gerardo.

Così S per? si

Così S per Molarii/Molarium (da doc. coevi)

Così S

Dubito della lettura

† Signum crucis proprie manus subdiaconi Angeli de
Cancellario qui interfuit et scribere nescit